AUTHOR:

TITLE:

DE PARTICULAE AN ORIGINE ...

PLACE:

GUSTROVII

DATE:

1853

Master Negative #

91-80084-35

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG91-B47034          Acquisitions      NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG91-B47034     RTYP:a     ST:p     FRN:     MS:      EL:          AD:05-03-91
  CC:9668   BLT:am      DCF:?     CSC:?    MOD:     SNR:     ATC:         UD:05-03-91
  CP:nyu      L:lat     INT:?     GPC:?    BIO:?    FIC:?    CON:???
  PC:r      PD:1991/1853          REP:?    CPI:?    FSI:?    ILC:????   MEI:?    II:?
  MMD:      OR:     POL:     DM:     RR:            COL:     EML:       GEN:     BSE:
  040       NNC‡cNNC
  245 10    De particulae an origine et usu disquisitio historica et grammatica‡h[
            microform].
  260 0     Gustrovii,‡bex officina ebertiana,‡c1853
  300       16 p.
  LDG       ORIG
  QD        05-03-91
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 13x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7-1-93   INITIALS M.G.Y.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BEST COPY
AVAILABLE

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

SCHOLAE SUERINENSI

AB

IOANNE ALBERTO

CONDITAE

FELICITER FLORENTI

STUDIIS QUAE AD HUMANITATEM DUCUNT DILIGENTER ET ANTIQUA SEVERITATE COLENDIS

PROPUGNACULA LITERARUM AC VERAE LIBERTATIS EVANGELICAE

AB LUTHERO OLIM ET MELANTHONE

SAPIENTER EXSTRUCTA

SAPIENTER TUENTI

TERTIA SACRA SAECULARIA

DIE IV. M. AUGUSTI A. MDCCCLIII.

PIE CELEBRANDA

GRATULATUR FAUSTAQUE OMNIA PRECATUR

SCHOLA CATHEDRALIS GUSTROVIENSIS

Addita est commentatio historica et grammatica de particula ἄν.

GUSTROVII MDCCCLIII.

EX OFFICINA EBERTIANA.

De particulae ἄν origine et usu disquisitio historica et grammatica.

De particula ἄν quum tot tamque diversae virorum doctorum sententiae sint propositae ut, possitne res ad liquidum perduci, paene videatur desperandum, nec tamen nisi perspecta ejus particulae notione et propria vi certa sibique constans temporum et modorum doctrina tradi possit, profecto res, quum quod deterreat, habet, tum, si modo noveris usum hunc nostrum scholasticum, plurimum, quod ad retractanda ea studia mirifice incitet. Enimvero in ipsa ratione perquirendi et neglecta quaedam videntur, et pauca, ni fallor, parum recte instituta. Quod si cui forte audacius quam verecundius dictum videatur, is secum reputet quaeso, quam paene alia jam reddita sit horum studiorum ratio, praesertim quum tanta linguarum multitudine comparata et explorata de omni genere quaestionum syntacticarum integrius ac certius judicium ferre et possis et debeas. Qua in re, quod ii, qui in singulorum per linguas cognatas vocabulorum radicibus indagandis operam suam collocaverint, satis multi sunt, eorum qui hoc genere usi sint ad illustrandas caussas syntacticas, magna paucitas, profecto non est quod mireris. His enim studiis qui totos se dediderunt, amplissimum campum, in quo decurrerent, nacti captique ipsius rei dulcedine, rerum syntacticarum enunciatorumque formandorum comparationem, qua et sola videntur diversissima illa studia grammatica inter se conciliari posse, et scholastica haec nostra ratio praecipue indiget, tantum non neglexerunt. At vero nisi forte exspectandum censes, dum ab illis (nescio quando) lux afferatur, operae certe pretium est, si quid ex illorum studiis bonae frugis collegeris, in usum tuum adhibere. Accedit quod in formatione enunciatorum lingua Sanscrita sane minus exculta videtur, Graeca autem et Latina et nostra satis suppeditant, quibus uti possis. Quae quum ita sint, vide qua via rem expediendam esse computem.

I.

Primum igitur, quum fuerint, qui in etymo ejus particulae summopere elaborarent, ista via, quominus, quamvis speciosis enodationibus propositis, certi aliquid erui posse existimes, ipsa obstat voculae forma perexigua. Nimirum, nisi notionem aliquam antea mente tibi formaveris, istam viam vix ingredieris. Immo vero ne reperta quidem signi-

ficatione, quae singulis locis omnibus satis apta videatur aut defendi certe ubique possit, rem omni ex parte absolveris. Nam ut notio illa, quam statueris, rectissima sit, num ista ratione ipsius usus leges explicatae videri poterunt? Ea enim ejusmodi fingi plane nequit, quin loci afferri possint innumeri, quid? tota enunciatorum genera, in quibus ex notione ista ἄν satis quidem commode videatur locum habere posse, nectamen habeat, nec, si usum spectas, leges dico, quas ipsa sibi lingua statuerit, habere ullo modo possit. Itaque, nisi quis notionem ejusmodi investigari posse putat, ex qua certae illae leges, quibus usum teneri videmus, facile possint deduci, ad plenam rei cognitionem ea via perveniri posse, praefracte negaverim. Sed ut et ea, quae modo exposui, probem, et iis, quae jam dicturus sum, viam muniam, videtur in rem esse ex virorum doctorum sententiis unam alteramve, ea tamen, quam haec, quam nactus sum, scribendi opportunitas imperat, brevitate examinare.

Atque ii quidem, qui verbum verbo reddidisse sat habentes ἄν idem fere valere dicunt, quod apud nostros *bene* (wohl) aut *aliquid* (etwa), nihil profecto dixisse videntur. Ea enim vocabula apud nostros satis levis momenti sunt, ita ut addi vel omitti nullo negotio possint eorumque usus certis finibus vix circumscribi. Id quod facile tibi probabitur, quum quaeris, cur non etiam vocabulum ἴσως et quae sunt similia tantas turbas moverint aut movere possint. — Nec vero sententia eorum, qui ἄν conditione aliqua vel addita vel cogitatione supplenda explicatum esse volunt, quam quidem etiamnunc plerisque probatam proxime a vero abesse arbitror, omni ex parte sufficit. Tantum enim abest, ut, ubicunque conditio in sententia insit vel cogitando suppleri possit, ἄν usurpatum invenias, ut permultis locis ne possit quidem locum habere. Atqui tum demum veram hujus particulae notionem tetigisse essent putandi, si liceret conjicere, ubicunque conditio addita esset aut commode suppleretur, ibi necessario ἄν locum habere aut certe habere posse. Quae res longe aliter se habet. Sufficiet enim attulisse Optativum or. obliq., qui, ubi ex Indicativo ortus est, ἄν nunquam recipit, ubi ex Conj. c. ἄν, rarissime; tum, quod in en. final. vel addita conditione saepissime deest ἄν, semper fere apud ἵνα. Accedit quod supplementum illud interdum levissimi momenti est, ut, cur non liceat tale quid ubique supplere, parum liqueat. Exempli gratia affero usitatissimum illud in sent. final. *ut fiat, sc. siquidem fiat:* quod, si in ulla sententia inest, in unaquaque sententia finali inest. Adde quod sic, ἄν etiam apud Opt. in ejusmodi sententiis reperiretur, necesse esset. Similis ratio est Optativi in enunc. generatim relativis, ubi de conditione neutiquam esse cogitandum, aliunde te colligere oportet, quum ex ipsa particulae notione nullo modo eruas. Quae quum ita sint, fieri non potest, quin jejuni ac frigidi quid habeat supplendi illa ratio, quippe quae facillime quidem ubique in promtu sit, sed plane pro arbitrio videatur fieri. At vero quum aliunde constet, ubi ἄν utendum sit, ubi non, inde et caussa repetatur oportet, nec ex ipsa particulae notione, unde ea cognitio nec repetita sit nec repeti ullo modo possit. Quid quod ipsa illa supplendi ratione permoti haud raro ἄν desiderant interpretes, ubi ferri plane nequeat.

Exempli gratia affero Dem. Phil. I, 1. εἰ περὶ καινοῦ τινος πράγματος προὐτίθετο λέγειν. ἐπισχὼν ἄν, ἕως οἱ πλεῖστοι — γνώμην ἀπεφήναντο, ἡσυχίαν ἂν ἦγον: ubi Franckius ἄν ideo abesse putat, quod in altera sententia jam insit: quod tamen ea de caussa necessario deest, quod ἕως ἀπεφήναντο protaseos hypoth. vices explet. Similis plane ratio est loci Thuc. III, 84. οὐ γὰρ ἂν τοῦ τε ὁσίου τὸ τιμωρεῖσθαι προὐτίθεσαν, τοῦ τε μὴ ἀδικεῖν τὸ κερδαίνειν, ἐν ᾧ μὴ βλάπτουσαν ἰσχὺν εἶχε τὸ φθονεῖν: ubi Poppo: „ἂν *eo rectius omitti potuit, quia in sententia, ex qua pendet, jam inest.*“ Ex Popponis igitur sententia omnis protasis hypoth. ἄν asciscere non solum potest, sed proprie etiam debet.[1])

Sed quid in hoc genere reprehendendum ducamus, satis indicatum videtur. Itaque etiam Baeumlenii sententiam, et ipsam multis quidem locis aptissimam, nec tamen omnibus nec ita comparatam, ut ex ea, ubi ἄν poni debeat, ubi non, depromere possis, infra examinabimus.

II.

Ut igitur, quam viam ingrediendam esse mihi persuaserim, libere exponam, ante omnia id mihi agendum videtur, ut ea enunciatorum genera, in quibus ἄν apud Atticos inveniatur et in quibus non, accurate definiantur. Quo facto ipsa ratione, qua usus nitatur, perspecta, quid notionis certe Attici in illa particula inesse voluerint, reperiri sine dubio poterit. Immo certius quid, quo innitaris, habebis, et unde, respectis legibus, quibus quum ceterae linguae tum Graeci sermonis consuetudo utitur, non solum ipsam vocabuli originem conjectura si non certo attamen multo probabilius quam alia ratione ulla assequi possis, sed etiam ad ipsum usum Homericum, eum quidem parum definitum nimisque late patentem, illustrandum facile progrediaris.

Neque enim est quod dubites, quin ἄν ab ἴσως ceterisque ejus generis particulis ita differat, ut ad varias *Modorum* significationes et quasi affectiones notandas ac proinde

[1]) Quae Popponis sententia eo magis offendit, quod paullo ante ἐν ᾧ εἶχε conditionaliter esse intelligendum dicit. Sed de toto loco, quum etiam a Kruegero pro desperato relictus sit, paucis libet exponere. Vertit hic: wobei der Neid seine schadende Kraft verloren hätte; similiter Poppo: ubi invidia vim nocentem amisisset; immo vero vertendum est: n i s i (ibi) invidia vim nocentem suam exhibuisset (vel exhiberet). Μή igitur ad verbum εἶχε, i. e. ad totam sententiam, non ad βλάπτουσαν referendum est. Quo facto sententia cum iis quae antecedunt optime cohaeret. Nimirum quum antecedat oratio tripartita ἡ ἀνθρωπεία φύσις — 1) ἀκρατὴς μὲν ὀργῆς οὖσα, 2) κρείσσων δὲ τοῦ δικαίου, 3) πολεμία δὲ τοῦ προὔχοντος, statim vides prioribus duobus membris respondere nostro loco τοῦ τε ὁσίου τὸ τιμωρεῖσθαι τοῦ τε μὴ ἀδικεῖν τὸ κερδαίνειν, nec minus tertio ἐν ᾧ μὴ — εἶχε, quum φθόνος sit φύσις πολεμία τοῦ προὔχοντος. Tertium autem hoc ἐν ᾧ μὴ εἶχε, quod conditionaliter nec copulative adjunxit scriptor, satis luculenter ea de caussa fecit ut invidiam caussam priorum illorum vitiorum esse contendat. Cui rei vel illud documento est, quod, quae paullo antecedunt τῶν νόμων κρατήσασα et εἰωθυῖα ἀδικεῖν, prioribus illis duobus membris respondent, invidiae mentio postea demum injicitur. Quamquam sententiarum progressum lenti ac languidi nescio quid habere totumque caput multis difficultatibus laborare libenter concedo.

ad certa quaedam *enunciatorum* genera distinguenda ab Atticis certe usurpatum sit. Formas enim enunciatorum et Latinorum et nostra lingua ita constituerunt, ut certis quibusdam Adverbiis vel Conjunctionibus eas notarent. Quae ratio apud Graecos ab initio quidem non erat nec esse poterat. Eas enim notiones, quas noster sermo per *weil, dasz, damit,* ceteris, indicat, ipsorum eorum vocabulorum propriis significationibus non exprimi, in aprico est, immo, certo demum constantique usu iis additas esse: qua in re ne illud quidem negari potest, singulas linguas multa pro arbitrio plane egisse. Licet enim, cur in hoc genere ea, quibus usi sunt, potissimum vocabula adhibuerint, in multis satis appareat, tamen nec omnium ea est ratio, et potuisse certe fieri, ut alia eligerentur, utique concedendum est. Ejusmodi igitur vocabulis uti, quae, propria sua significatione abjecta, novas quasdam receperint, recentiorum fere linguarum est, multo minus Latinorum, Graecorum ex minima parte: ita tamen, ut etiam apud hos primordia ejus rei investigare possis. Jam vero si quaeras, qua tandem ratione Graeci, ut illas notiones significarent, asseculi sint, adest tibi *formarum modalium*, qua floruerunt, mira copia et ubertas. Quo in genere hoc loco satis erit hoc unum attulisse, Graecos non solum in unoquoque genere enunciationum *modalitatem*, quam dicunt, quadrupliciter significare, Latinos non nisi tripliciter *(est, sit, esset)*, Germanos tantum dupliciter *(ist, wäre)*, sed illos etiam, aut addito ἄν aut omisso, hunc numerum duplicasse, ita ut vel tota enunciatorum genera modorum quasi ordinibus quibusdam notentur. Sed haec nunc enarrare longum est. Quae in rem videbuntur, infra proponemus; de ceteris, si quis erit, cui historica haec rei tractatio probetur, conferat prog. schol. Gustrov. 1850.

Denique quod Atticorum et pedestris quidem sermonis scriptorum usum maxime respiciendum esse censui, uberiore disputatione vix videtur egere, nisi aut constantem illum usum subito et temere extitisse existimaveris, aut ab Atticis varia enunciatorum genera certis demum formis instructa esse negaveris.

III.

In enunciatis liberis ac primum quidem in iis, quae forma sua aliquid *appeti* denotant, ἄν apud Atticos nusquam invenitur; e contrario in iis, quae *judicium* aliquod fieri indicant, praeter Indicativum nullus Modus eo carere potest: nisi quod Conjunctivi usus hic obsoletus est, ut Futuro loco plane cessisse putandus sit. Qua lege compositorum quoque enunciatorum eas partes, quae caput sententiae efficiunt, teneri, vix est quod moneam.

Eorum enunciatorum, quae ex alteris suspensa sunt forma omnino est relativa. Ex his eorum, quae nominis substantivi instar objectum vel subjectum alterius enunciati efficiunt, ex ipsa enunc. simplicium natura, ratio duplex est. Alterum genus, quod per ὅτι et ὡς (οὗ) infertur, tum demum ἄν recipiet, quum id jam fuerit in libero illo enunciato, quod jam objecti aut subjecti vices expleat. Alterum genus en. subst. quum

»finale« sit idque formam en. fin. adverbialium saepe induat,[2]) prius, quae de genere universo dicenda sunt, enarrabimus. In enunc. igitur finalibus omnibus, quae quidem Conjunctione consilium indicante inducantur, ἄν apud Conjunctivum saepissime, apud Optativum nusquam invenitur, licet apposita sit conditio. Etiam apud Conj. saepissime deest, licet apposita conditione. Qua in re hoc quoque aliquid certe ponderis habet, quod apud Thucydidem nusquam, quod ego invenerim, Conjunctiones consilii quodammodo indices Conjunctivo ἄν adjunctum exhibent. Paeterea ἵνα apud ceteros quoque scriptores, quamvis addita conditione, particulam ἄν plane respuit. Nam et, quae pauca exempla contra hanc sententiam afferuntur, nullo negotio aliter sunt explicanda, et ipsa eorum raritas rationibus nostris sufficit. Restat ut de enunc. fin. substant. paucis videamus. In his igitur ἄν vel apud Conjunct. multo rarius legitur quam in altero illo genere adverbiali *(damit)*. Optat. c. ἄν autem, ab altero genere alienum, in hoc interdum usurpatur: velut post ἐπιμεληθῆναι, vel ita, ut, quod Tempus Praesens antecedat, Conjunctivum potius exspectes. Itaque quum hic Opt. c. ἄν, siquid video, nihil nisi Futuri vicarius sit, hoc quoque loco suppleta conditione haud multum proficies.

Alterum genus et tertium enunciatorum forma relativa subjunctorum ea sunt, quae, quum aliquid, quod in enunciato primario jam continetur, sive Objectum aut Subjectum, sive Praedicatum, accuratius definiant, ab Adjectivis et Adverbiis nomen traxerunt. Quorum quidem generum leges, quatenus ad Modos et particulum ἄν spectant, una comprehensione enarrari possunt. Aut enim sententia forma tantum relativa subjungitur, ita ut de modis et de particula ἄν eaedem leges valeant, quae in liberis enunciatis, — aut, quum sententiae necessitate quadam connexae enunciantur, ita ut altera caussa, altera effectus contineatur, oriuntur quattuor illa genera enunciationum, quae consecutivae et finales, caussales et conditionales vocantur. Ex his consecutivae[3]) et caussales omnino sequuntur leges en. substant. per ὅτι et ὡς illatorum, i. e. liberorum enunciatorum.

De finalibus en., quatenus per Conjunctiones inducuntur, jam supra dictum est. Reliqua, ea igitur, quae Relativo aliquo Adjectivo aut Adverbio simpliciter temporis, modi indice inferuntur, formam modalem alium, nisi Indic. Fut., non admittunt, ita ut particulae ἄν locus non sit: excepto uno loco Thuc. VII, 25., ubi Conj. c. ἄν legitur.

Propositiones conditionales, sive per εἰ inferuntur, sive per aliud quodvis Relativum, Conjunctivo constanter ἄν addunt, ceteris Modis nunquam. Qua in re ne ad con-

---

[2]) En. fin. subst. ea sunt, in quibus ut (ne) per dasz reddendum est; quae eadem illa sunt, in quibus ὅπως c. Ind. Fut. (μή) invenitur, eademque, quae, etsi Vb. sent. aut declar. praecedit, latine tamen cum ut (ne) construuntur. En. fin. adverb. ea, in quibus ut per damit reddendum est.

[3]) ὥστε, quod ex grammaticorum praeceptis non minus saepe cum solo Optativo quam Opt. c. ἄν conjunctum usurpari divineris, apud Atticos tum demum Opt. sine ἄν adsciscit, quum aut pars est protaseos hypoth. eaque ipsa Optativo enunciata est, aut pars orationis obliquae. Utriusque generis exempla rarissima. Xen. Hell. III, 5, 23. Oec. I, 13.

ditionem supplendam nos ableges, quum omnis ratio obstat, tum id quod, quando per orat. obliquam Conj. c. ἄν Optativo mutatur, ἄν semper fere abjicitur, nec minus quod in enunc. quae generatim relativa dicuntur, eadem actio, quae post t. Praesens Conjunctivo c. ἄν enunciabatur, post tempus Praeteritum jam solo Optativo redditur.

In formulis interrogandi, quae ex altero Verbo non pendeant, leges liberorum enunciatorum valent. Nam quod Opt. c. ἄν ab solo Optativo conditione supplenda discernunt, nec singulis locis examinatis firmatur, nec Atticorum usu universo spectato, quippe qui ἄν semper fere addant.

Interrogationum relativo Adjectivo vel Adverbio alicui sententiae annexarum, si modorum formas spectas, duo sunt genera. Alterum Subjecti aut Objecti vices explet, ita ut de usu particulae ἄν eadem prorsus leges valeant, quae in enunciatis per ὅτι et ὡς illatis. Qui praeterea hic invenitur Conjunctivus (μή), is quidem ex adhortativo et deliberativo illo orationis directae ortus, nunquam patitur ἄν, licet addita conditione. Contra Optativus, vel apud εἰ, et ἄν et οὐκ saepissime adsciscit, plane eadem ratione qua apud ὅτι et ὡς. Itaque ἄν abesse omnino non poterit, nisi Optativus per orat. obliq. ex Indicativo ortus erit; hic enim ut ἄν recipiat, nulla ratione potest effici. — Alterum genus interrog. indir. iisdem formis modalibus utitur, quibus protasis conditionalis: id quod fit, quando non disertis verbis interrogatur, sed actio qua fit eo consilio, ut quid inde appareat, veluti quum dicas: *pulsabo portam, si (= num) forte audiat.*

Infinitivis et Participiis ἄν eadem ratione aut additur aut non additur, qua, si eadem sententia Modis finitis enunciaretur: ita tamen, ut, quum id verbum, quocum conjunctus est ille Infin. aut Partic., jam ἄν additum habet, eo repetito non sit opus.

IV.

Quae quum ita sint quumque ea, quae nos contra illam conditionis supplendae rationem disputavimus, in quamlibet definitionem aut translationem cadere, quivis intelligat, translatione ulla vel definitione rem non posse absolvi, luculenter apparet. Immo ex iis, quae modo exposuimus, varia enunciatorum genera modalesque eorum formas particula illa distingui jure videmur colligere. Ac primum quidem hac ratione distinguuntur enunciatorum liberorum ea quibus *judicium* aliquod continetur ab iis, quae *appeti* aliquid indicant; tum (si quidem unius Conjunctivi paullisper rationem non habemus), ab iis, quae *conditionem* et *consilium* indicant, enunciatorum relativa forma annexorum omnino cetera: cujus generis sunt, quae per ὅτι et ὡς, denique alio quolibet Relativo Adjectivo vel Adverbio inferuntur. Quorum omnium quum id commune sit, ut aliquod judicium, licet relativa forma annexum, euuncient, ἄν omnino eam vim habere videtur, ut plenam aliquam et integram sententiam aut caput certe sententiae eo enunciato vel membro enunciati, in quo insit, contineri significet. Quam quidem *demonstrativam* quandam appellare potes, nimirum respectu habito formae *relativae*, qua ea enunciatorum genera, quae illis respondent, inferuntur. Ac de Conjunctivo c. ἄν mox disputabimus; nunc hoc tantum

dicemus, Conjunctivi usum ab ceteris illis enunciatorum generibus, in quibus ἄν inveniatur, plane alienum esse: ita ut, quod hoc loco rationem ejus non habuimus, minus offendat. Jam ut, ex qua significatione propria ἄν eam, quam in eo inesse vidimus, vim recepisse arbitrer, indicem, proprie nihil aliud significasse videtur nisi tum: quod jam logicam quandam significationem accepisse putandum est, simili ratione, qua ex nostre *dann* factum est *denn*: hoc quidem non illud, quo nam et γάρ reddere solemus, sed illud quo in apodosi en. hypoth. saepissime utimur: velut si dicas: *wenn —, so würde mn wohl.* Sed haec, quae modo proposui, ne cui, etsi ad veritatem mihi plane persuaerim, vana et nugatoria potius videantur, noli putare eo consilio esse disputata, ut statim primoque oculorum quasi obtutu cuiquam probentur. Immo ideo proposita puta, ne justo diutius meam sententiam premere videar. Itaque etsi id ipsum plerisque offensioni erit, quod definitioris cujusdam significationis vocabulum desiderant, cujus interpretatione totus usus evidenter et manifeste explicatus extemplo videatur, tamen, examinatis iis legibus, quarum vis in enunciatorum formis definiendis per linguas latissime patet, id me assecuturum esse spero, ut, qui haec legerit, etiamsi non plane in sententiam meam concedat, tamen niti eam argumentis satis firmis nec certe iis minoribus, quam quibus vulgo utuntur, evincam.

Videamus igitur de linguarum illis legibus. Quo in genere omnino id tenendum est, Adverbia omnia esse aut loci aut temporis aut modi: quae praeterea consilium, caussam, conditionem indicare videantur (omnino ea, quae uno nomine logica vocant), eas significationes non a principio habuisse, sed cogente quadam sermonis necessitate per usum demum recepisse. Qua in ratione sunt et ipsae particulae copulativae, disjunctivae, adversativae; nam actiones conjungendi, disjungendi, opponendi oculis cernuntur. Quae tamen *logica* vocatur enunciatorum conjungendorum ratio, ea omnis ad *nexum caussalem*, quam vocant, revocari potest. Ea autem conjungendi ratio, quatenus relativa sive hypotactica est, omnino duplex est, ita ut aut enunciatum primarium caussam indicet alterius, enunc. relative adjunctum effectum, aut illud effectum, hoc caussam. Priore illa ratione continentur enunc. finalia et consecutiva, hac caussalia et conditionalia. Quae sola restare videntur, enunč. concessiva, partim conditionalibus, partim caussalibus sunt attribuenda. Semper enim hoc genus aliquam rem, quae caussa utari poterat, caussam esse vel fuisse, negat. Sed in rem videtur totam rationem hac abula descriptam proponere:

Enunciatum relat. (secundarium) enunciati (demonstr.) primarii indicat

aut effectum	aut caussam
sodasz, ut (non), ὥστε.	weil, quod, quia, quum etc. (obgleich, quamquam) ὅτι — ἐπεί κτλ. (quamvis)
damit, ut, (ne), ἵνα. ὡς. ὅπως.	a) wenn, si, εἰ (wenn auch, etsi, etiamsi) (εἰ καί, καὶ εἰ.) b) quicunque, quisquis etc.

Jam quae cujusque linguae ratio sit, apparet et exstat. Ac Latini quidem (ut de his, quorum ratio syntactica omnis medium quendam quasi cursum inter Graecorum et nostrum sermonem tenet, primo loco disputem) totam fere illam necessitatis conjunctionem soli Conjunctivo significandam relinquunt: siquidem eum quoque Conjunctivum, quam repetitae actionis vocant, ad leges enunc. conditionalium revocari volumus. De ceteris res vel per se patet. Particulae igitur *quum* et *ut* (consecutivum) etiam tum Conjunctivum adsciscunt, quum ipsae res, quae per eas afferuntur, sunt certissimae. Quae huic rationi obstare videntur, *quando, quoniam, quod*, eorum rationem explicare, hoc loco longum est. — Alia est ratio *nostri* sermonis. Hic enim, quum certis quibusdam Adverbiis relativis illas rationes notet, modali exprimendi ratione non amplius eget; quo fit, ut in quattuor illis generibus omnibus Indicativus appareat aut apparere certe possit. Nihilominus hoc tenendum est, Conjunctiones illas a principio nihil esse nisi Adv. relat. loci, temporis, modi: constantique demum usu ad novas illas notiones paullatim esse traductas. Analogiae instar est apud Latinos Indicativus in formulis generatim relativis apud *quisquis, quicunque, quamquam* cetera, collato Conjunctivo repetitae actionis. Est tamen etiam hoc in genere aliquid discriminis. Nam quae notio generatim relativa vocatur, ipsa Relativorum compositione diserte exprimitur. *Cumque* enim idem fere est, quod *quandoque*. cf. *ubique, utique*, alia. cf. Hor. Od. I, 32, 15. *quisquis, utut*, omnino quae duplicatione Relativi orta esse feruntur, constant ex Interrogativis, additis Indefinitis: cf. ὅστις (quod secernendum est ab altero ὅστις, quod Interrogativum est, induta forma relativa). Apud Graecos, quod comparari possit, vix quidquam invenias, nisi ὥστε, quod quidem apud Atticos ubique consecutivum est. ὅτι, aeque ac Latinorum *quod, quia*, ubi caussam indicant, cum sententiis quae per haec inferuntur, plane Accusativi aut Nominativi vicibus funguntur, ita ut proprie ubique per dasz, non per weil sint reddenda. Sed, qua re propria Graeci sermonis natura et indoles luculenter apparet, ἐπεί, ὅτε, ὅπου cetera, etiamtunc quum *caussam* indicant, cum iisdem Modorum formis conjunguntur, quibus propria sua significatione temporali et locali utuntur: (cum ipso igitur vel Indicativo et οὐ: omnino cum iis quae in liberis enunciatis locum habent): Indic., Opt. c. ἄν, Ind. Praet. c. ἄν, neg. οὐ; quum tamen Latini sermonis ratio Conjunctivum requirat, Germani ipsis jam Conjunctionibus caussam indicent. Eadem plane ratio est enunc. *consecutivorum*. cf. not. 3. Sententiae demum *conditionales* et *finales* apud Graecos peculiares ac proprios Modorum quasi ordines exhibent, qui in liberis enunciatis non reperiuntur: quos, quum quodammodo idem, quod in hoc genere Latinorum Conjunctivo tribuendum est, significent, commode (ne cum Graecorum Conjunctivo confundantur), modos *Subjunctivos* appellare licebit. Atque ordo *conditionalis* has formas exhibet: Indic., Conj. c. ἄν, Opt. (sine ἄν), Ind. Praet. (sine ἄν), negationem μή. Ordinis finalis sunt: Ind. Fut., Conj. saepe addito ἄν, saepius omisso, Opt. (sine ἄν), Ind. Praet. (sine ἄν), negandi formula μή. Formae *conditionales* non solum apud εἰ, sed cuilibet Relativo additae conditionis notionem efficiunt: eo tantum discrimine, ut apud Adv. loci, temporis,

modi, Adject. rel. apodosin ex loco aliquo, tempore etc. suspensam indicet, apud εἰ ex mera actione protaseos. Ex formis finalibus solus Indic. Futuri cum quolibet Relativo conjunctus consilium indicat; ceterae cum certis tantum Rel. conjunguntur: ut haec jam magis Conjunctionum, quae nunc dicuntur, naturam prae se ferant. Jam vide quo rem deducam. Modorum Subjunctivorum ratio, etsi ad Latinorum usum Conjunctivi proxime accedit, sic tamen differt, ut et hujus varium et multiplicem usum accuratius et distinctius definiat, et vel ipsa formarum modalium copia, his multo majorem vim esse ad enunciatorum genera discernenda quam Adverbiis vel Conjunctionibus, quibus ea inferuntur, manifesto ostendat. Velut, utrum ἵνα sit *ubi* an *quo finale*, utrum ὅπως simpliciter modale an finale, εἰ conditionale an interrogativum, ex solis modorum formis perspicies. Verum haud scio an tum demum Graeci sermonis propriam naturam et indolem perspectam habeamus, quum Graecos a principio solis modorum formulis ad logicas illas notiones notandas usos esse contendamus ac paullatim demum ad eam rationem, quam in linguis, quae insecutae sunt, valere videamus, Graecam quoque pauculum deflexisse. Profecto enim, quod certas quasdam Conjunctiones certos quosdam Modos requirere contendunt grammatici, eam rationem ex Latino maxime sermone depromserunt: Graecus certe sermo neutiquam ferret. Attamen et huic perversa ea ratio interdum etiamnunc caliginem offundit. Velut quum interpretes inter exempla εἰ cum οὐ conjuncti *(si non)*, etiam interrogationes afferunt; omnino, ubi doctrina Modorum secundum Conjunctiones disposita traditur. Notanda est in hoc genere illa Indicativi Fut. c. ὅπως explicatio, qua illud ὅπως simpliciter *quomodo* esse dicunt. Quae quidem explicatio, etsi plurimis probatur, tamen nulla est. ὅπως enim semper et ubique nihil est nisi *quomodo;* num sententia sit simpliciter modalis an finalis, solis modis discernitur. Atque illum Indic. Futuri vices Latinorum Conjunctivi sustinere, ita ut ab Ind. Praes. modali potius ratione quam temporali differat, vel inde cogitur, quod Ind. Fut. (μή) ipsa ea forma modalis est, quae sola cum quolibet Adjectivo vel Adverbio simpliciter relativo construi potest. Neque id, quod hoc Indicativo Fut. rem certiorem indicare volunt, cave persuaderi tibi sinas. Nam non solum exstant exempla quibus contrarium manifesto probetur, velut Dem. Phil. III, 76. ἦσαν ἐν Ὀλύνθῳ τινὲς, ὅπως μὴ δουλεύσουσιν οἱ πολῖται πράττοντες (quod quidem oppido eo jam expugnato dicit orator), — sed vel ex eo, quod post certa tantum Verba quaedam hic Ind. Fut. c. ὅπως infertur, inde explicationem quoque rei esse petendam, clarissime apparet. cf. progr. Gustr. 1850. p. 29. — Aliud denique argumentum, magis Modorum formulis, quam Conjunctionibus quibusdam logicas illas enunciatorum notiones apud Graecos notatas esse, in eo videtur esse positum, quod exstant exempla, quae antiquioribus certe temporibus Conjunctiones omnino abesse potuisse doceant, ita ut solis modorum formis necessitatis illa conjunctio indicetur. Hom. Jl. 23, 70. θάπτε με ὅττι τάχιστα, (sc. ὅπως) πύλας Ἀΐδαο περήσω. ib. 6, 340. ἀλλ' ἄγε νῦν ἐπίμεινον, Ἀρήϊα τεύχεα δύω. Quae sententiae si sensum spectas, sunt *finales*, suspensae igitur ex sententia primaria: id ipsum tamen nondum relativo aliquo Adverbio indicatum. Num haec alia ratione, ac qua nos

proposuimus, expedienda sint, ipse videris. Mihi quidem conjunctio relativa ea de caussa paullatim demum videtur addita esse, ut utrumque membrum unam efficere sententiam ipsa quoque forma indicaretur. Ea autem consuetudo loquendi etiam in pedestris sermonis scriptoribus apud certos quosdam Imperativos invenitur: ut apud ἄγε, λέγε. Plat. Rep. 5, 457. C. λέγε δή, ἴδω. cf. progr. G. 1850. p. 6. Quid? quod εἰ conditionis index abesse potest: velut notissimum illud καὶ δὴ τεθνᾶσι · τίς με δέξεται πόλις; cui generi, Atticis in sermocinatione familiari usitatissimo, *protasi paratacticae* nomen inditum est. cf. C. Fr. Hermann de prot. parat. et si videtur, progr. Gust. 1850. p. 4. Atqui hujus usus ratio eadem est, quae rarioris illius in sent. finalibus. Nimirum Conjunctione principio non opus erat, quum ex mera actione alterius enunciati aliquid suspensum proponebatur, sed tum demum addebatur Adv. vel Adj. relat., ubi ex loco, tempore, persona etc. quid pendebat. Latini ut conjuncta esse ea enunciata forma quoque indicarent, etiam Conjunctivo hoc in genere utebantur, qui a Graeco sermone abhorret. cf. progr. G. p. 5. Denique huc pertinet notus ille Opt. pro Acc. c. Inf., maxime addito γάρ vel οὖν: velut παῖδες γὰρ σφῶν εἴησαν παρ' Ἀθηναίοις: praecedente ὅτι c. Opt. v. progr. p. 27.

Secundum ea, quae de Conjunctionum primordiis modo disputavimus, haud ita absonum videbitur, particulam ἄν ex adverbio temporali aut locali et ex radice pronominali ad eam, quam prae se fert, vim *logicam* procedere certe potuisse, et Graecos, qui solis fere modorum formis multa, quae ceterae linguae Conjunctionibus, indicarent, unam certe particulam ad modorum formas, quibus rationes illae significarentur, accuratius distinguendas adhibuisse. Sed via jam munita est, qua, examinata ea ratione, qua in protasi et apodosi sent. conditionalium linguae usae esse videantur, ad ipsam particulae originem indagandam propius accedamus. Nam usum ejus particulae cum illo genere arctissime cohaerere, vel ex clarissimorum virorum, qui omnem ejus rationem inde repetiverint, sententiis quivis divinabitur.

Ac Germani quidem, quum procul dubio wenn nihil aliud sit, nisi wann, conjunctionem relativam ex adverbiis temporis, demonstrativam (so) ex modalibus repetiverunt. Quo in genere hoc primum apparet, nec per wann — dann, nec per wie — so ipsam conditionem perspicue significari potuisse. Nam etiamsi hic eadem ratio valeret, quae apud Graecos, ut quovis Relativo protasis inferri posset, tamen non mera illa et integra conditionis notio quae per wenn infertur, sic efficeretur, sed ex tempore aut ex loco aliquo quid suspensum esse. Ex quocunque autem ordine correlativo Conjunctiones petiveris, idem eveniet. Itaque Germanos quidem conjunctiones conditionales sic sibi parasse, ut ex altero ordine correl. Relativum, ex altero Demonstrativum peterent, luculenter apparet. Qua in re hoc, cur ex his, quibus usi sunt, ordinibus conjunctiones potissimum desumserint, quamquam statui et praecipi posse aliquid concedo, tamen. quum pro certo vixdum quid affirmari possit, nunc in medio relinquo. Sed nihil jam est, quod obstet, quominus Graecorum sermonem similem Germanici rationem secutum esse statuas. Graecorum enim εἰ procul dubio est eadem plane vox, quae Latino-

rum si. Id quod vel totus usus et conditionalis et interrogativus, comparatis insuper εἴτε et sive, videtur docere. Nec ipsa forma habet, quod repugnet: siquidem spiritum asperum, quem eam formam initio habuisse ipsa jam notio relativa docet, Latini sigma, Graeci producta vocali mutare poterant. Quum autem par plane ratio atque inter ut et ita, inter si et sic manifesto intercedat, efficitur, principalem notionem vocum si et εἰ fuisse ut, quomodo. Jam si simili quadam ratione, qua nostram linguam, Graecam conditionis significationem effecisse statuas, conjunctio apodoseos ex alio quodam ordine correlativo procul dubio petita est, ex temporali igitur aut locali, ita ut ἄν sit proprie aut ibi aut tum. Atqui totum quoddam genus usus exstat, quo ἄν aperte tum significare videatur: ad quam rem expediendam, quum ipsum genus sit notissimum, pauca exempla sufficient. Xen. An. II, 3, 11. καὶ εἴ τις αὐτῷ δοκοίη βλακεύειν, ἔπαισεν ἄν. ib. I. 5. 2. οἱ μὲν ὄνοι, ἐπεί τις διώκοι, προδραμόντες ἕστασαν (ἄν). Hell. VI, 2, 28. πολλάκις, ὅποι μέλλοι, ἀριστοποιεῖσθαι ἐπανήγαγεν ἄν. Mem. I, 3, 4. ἧττον ἂν ἐπείσθη (εἰ δόξειεν). Soph. Phil. 290. ὅμοι βάλοι νευροσπαδὴς ἄτρακτος, αὐτὸς ἂν τάλας εἰλυόμην κτλ. — εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν. Quo in genere illud quidem, indicari actionem repetitam, inter omnes constat: sed quomodo id significetur, quaeritur. Sunt enim, qui id ipsi ἂν tribuant: velut Kuehner ad An. I, 5, 2. At, nec addito illo ἄν, constat idem significari. Xen. An. I, 9. 28. εἰ πορεύοιτο, καὶ πλεῖστοι μέλλοιεν ὄψεσθαι, προσκαλῶν τοὺς φίλους ἐσπουδαιολογεῖτο, ὡς δηλοίη, οὓς τιμᾷ. Hell. VII, 1, 21. εἰ δὲ ἐπελαύνοιέν τινες, εὐπετῶς ἀνεχώρουν. Mem. I, 3, 6. εἰ δέ ποτε κληθεὶς ἐθελήσειεν ἐπὶ δεῖπνον ἐλθεῖν, (τὸ ὑπὲρ τὸν καιρὸν ἐμπίμπλασθαι) ῥᾳδίως ἐφυλάττετο. Plut. Alex. 23. εἰ δὲ ὁδὸν βαδίζοι, ἐμάνθανεν ἅμα πορευόμενος. Atque quamquam in hoc genere Imperfectum, in illo Aoristum potissimum usurpatum esse invenies, ea re haud ita multum proficitur: nam utrumque Tempus et potest repetitam actionem significare nec necessario significat. Sed et ipsa protaseos forma utique perpendenda est. Quo facto enunciatum non esse proprie conditionale, quamvis apposito εἰ, nullo negotio evincitur. Nam conditionale si esset, et Ind. Praet. c. ἄν rem non factam significaret, et pro Praeter. c. ἄν postularetur Opt. c. ἄν. Apparet igitur ejus generis esse haec enunciata, quae generatim relativa vocantur. Haec enim nec per εἰ nec alio ullo Relativo ab en. conditionalibus, si quidem certa sibique constanti ratione explicationis utendum est, discerni possunt. Sed si formam spectas, en. generatim relativa in apodosi Indicativum utique requirunt, (nisi quod perraro Opt. c. ἄν, vicarius ejus, invenitur), sent. conditionales in protasi et apodosi ejusdem generis formam modalem requirunt, ita ut Indicativo Indicativus, Conjunctivo c. ἄν Futurum, Optativo Optativus c. ἄν, Indicativo Praet. Ind. Praet. c. ἄν respondeant: nisi quod etiam hic Opt. c. ἄν et Ind. Praes. et Futuri vicarius invenitur. Quaecunque alia ratione discrepant, per mutationem quandam structurae explicanda sunt. Si autem sententiam ipsam spectas, in en. conditionalibus, quae proprie dicuntur, actio apodoseos, ne tum quidem quum Indicativo enunciatur, pro certa affirmatur, utique vero in en. generatim relativis. Itaque haec nulla alia re, nisi quod cum protasi hypothetica conjuncta enarrantur, actionis repetitae notionem assumebant.

Utrum ἄν addatur an non addatur, ad enunciati formam significandam nihil refert; immo, ipsum ἄν, ut aliud quodvis adverbium, principali sua notione usurpatur: *(dann = in diesen Fällen)*. Qua in re nec illud videtur plane negligendum, quod ἄν saepius Aoristo quam Imperfecto adjunctum invenias: nimirum Imperfectum semper actionis quandam continuitatem, Aoristus, ubi de re repetita usurpatur, actiones singulas et temporis aliquo spatio interjecto repetitas significat. Nonnunquam etiam protasis abest et ἄν plane ut tum-tum vel modo-modo intelligendum est. Luc. Somn. 6. καὶ γὰρ ἄρτι μὲν ἂν ἡ ἑτέρα ἐπεκράτει, ἄρτι δ᾽ἂν αὖθις κτλ. etsi non addito ἄρτι solum ἄν vix eam vim habuisse libenter concedo.

Sed quum tota haec explicatio nostra eo vel maxime contineatur, ut Graecos ratione Germanicae simili quadam in conditionis formulis significandis usos esse statuamus, ne quis vel inde negotium mihi facessat, quod, qui paullo ante diversam Graecorum esse rationem a nostra loquendi consuetudine docuerim, jam sententiam contrariam plane probare videar, magnopere vereor. At vero et de cognatione et de similitudine, quae inter has, quas in judicium vocavimus linguas, intercederet, putabam constare inter omnes; multo magis igitur in rem fore, si ipsas diversitates ad certas quasdam leges revocare conarer. Pauca tamen addam. Videntur enim tres illae linguae ita cohaerere, ut uno conjunctoque quasi decursu ferantur. Multa enim usus genera, quorum in altera lingua vix initia capta cernas, in insequenti altera incrementa cepisse et late jam patere vides, ita ut altera alteram excepisse certoque quodam cursu et ordine insecutae esse videantur. Nec minus alia exstant usus genera, quae apud Graecos latissime pateant, minus apud Latinos, quum in nostro sermone vix quidquam reliqui sit, nec tamen id, Graeca aut Latina ratione non perspecta, explicari possit. Omnino progressus aliquis, plane ut in historia universali, etiam hic investigari potest. Exempla ejus rei in doctrina modorum, temporum, generum verbi, casuum usquequaque inveniuntur. Sed de his uberius disputare, nec temporis hujus est nec loci. Nihilo secius manifestum est, fieri posse, ut, etsi Graeci modorum potius formulis, Germani Conjunctionibus ad notiones illas logicas, quibus bina enunciata conjungantur, significandas usi sint, tamen ejus rei apud Graecos initia et necessaria quaedam fundamenta jam inveniantur. Adverbiorum enim, qua quaeque lingua in hoc genere usa est, summa apparet cognatio et usus similitudo: velut ὅτι, quod, dasz, — ὥστε, ut, sodasz, — ὅτε, weil, quando, ἐπεί, quum, da, ὅπου, da (quum), — denique quod in sententiis concessivis confirmatione omnes utuntur: — περ, εἰ καὶ, quamquam, etiamsi, obgleich.

Sed haec sententiae nostrae cum tota, qua linguae utuntur, enunciatorum formatione convenientia, etsi per se fidem cuiquam vix faciet, tamen, quocunque modo hanc rem tractabis, recte abesse non poterit. Firmissima vero argumenta sententiae nostrae in ipso usu posita esse censeo: ad ejus igitur varia genera, supra mihi descripta, explicanda jam aggrediar. Ac primum quidem Optativus c. ἄν duplici ratione usurpatur. Aut enim demonstrativa illa vis particulae eo pertinet, ut indicet *sumtionem* aliquam, qua effecta, etiam actio ea, quae Optativo c. ἄν pronuncietur, pro vera et certa sit habenda;

aut eo tendit, ut monstret, ut ita dicam, ipsarum rerum totum statum, non sumtionem aliquam, significetque eas res ita esse comparatas, ut, quantum per has liceat, actio pro certa sit putanda, i. e. esse possit. Velut λέγοι ἄν aut reddi potest „würde wohl, falls“ etc., aut significat, posse quidem fieri, ut quis dicat, scilicet ratione habita externi rerum status: ut id solum, num ipse ille dicere velit, incertum relinquatur. Nam si Optativo mera mentis cogitatio indicatur, adjuncto ἄν, quando hoc cogitationem cum rebus certis conjunctam significat, exsistit usus ille potentialis. Nec si forte Optativo *posse* fieri aliquid, significari putas, ea sententia nostrae huic obstat. Hoc igitur genere potentiali utebantur ad judicia dubitantius pronuntianda, ita ut non esse aut fieri aliquid, sed posse tantum id fieri vel esse hac forma significarent. Itaque orta est urbana illa loquendi consuetudo, Atticis vel usitatissima, qua Opt. c. ἄν Indicativi et Praes. et Fut. factus est vicarius. Nec tamen, si in toto hoc genere altero particulam ἄν Indefiniti potius naturam induisse, quam demonstrativam servasse, existimes, equidem repugno. Haec enim ratio latius patet: cf. τέως. Quominus tamen alterum hoc genus ex priore illo ortum esse computem, ea maxime caussa prohibeor, quod sic et ad conditionem supplendam rejiceremur, quam rationem minus definitam esse satis jam demonstratum est, et violenta utique interpretatione opus esset saepissime. Namque etsi summorum virorum quorum apud omnes auctoritas vel maxima est, Hermanni et Baeumleinii sententiae nostra hac explicatione satis commode conciliari videntur, tamen alteram solam veram esse omnibusque locis idoneam vix crediderim. Quamquam enim singulos locos examinare nunc mihi non licet, tamen quin uterque illorum virorum innumeris in locis verum viderit, dubium esse vix poterit. Nec illud parum recte mihi videor sumsisse, ut duplicem notionem unius structurae statuerem. Nam particulae ἄν unam tantum notionem proposui: cujus vis quum sit logice demonstrativa, et ad sumtionem aliquam et ad totum rerum statum significandum pertinere potest. Potest quidem Opt. c. ἄν ita definiri, ut utrumque genus una comprehensione contineatur; sed, sicut illud cavendum est, ne ex praeoccupata opinione singulis locis sententia, quae in iis non insit, pro arbitrio inculcetur, ita non minus, ne ea definitio nimis late pateat laboretque ambiguitate.

Usus particulae ἄν adjunctae Indicativis Praet. omnis est conditionalis efficitque formulam sumtionis fictae. Exstat quidem alterum genus, velut si dicas ὀλίγους ἂν εἶδες. Sed hoc, ut Latinorum videres, cerneres, audires nihil est nisi Temp. Praet. formulae videas, cernas, audias, et ab Optativo c. ἄν (ἴδοις ἄν, *kannst* vel *könntest sehen*) temporaliter tantum differt, ut ex hoc modalis ejus usus leges sint repetendae. Sed quaeritur unde Indic. Praet. c. ἄν negativam illam vim acceperit cf. progr. p. 13 et 15. Comparato usu Praeteritorum sermonis Germanici nihil efficitur. Nam neque sola comparatione, explicatione non addita, quidquam proficeretur, et tota utriusque usus ratio plane diversa est. Noster enim sermo tempore praeter. in sumtione ficti non nisi de actione praeterita utitur, Graecus etiam de praesenti; nec illud temere videtur concedendum, Graecum sermonem, qui et Germanico et Latino formarum modalium copia sine dubio prae-

stet, hoc genere plane carere. Accedit quod ipso addito ἄν haec formula ab ea, quae Germanicae illi respondet, differt. Nec ipsius Baeumleinii placet sententia. Is enim, cujus merita in toto hoc genere maxima nemini non sunt notissima nec meis certe laudibus egent, quod, quum Indicativo Praet. c. ἄν sumtionem facti, non ficti, tribuat, negativam ullam vim ipsa formula significari diserte negat, me quidem id assequi non posse, ingenue fateor. Quod quidem nostrum *»ich würde«* affert, nihil ad rem. Ea enim nostri sermonis est indoles, ut eaedem res, quas Graeci quattuor, Latini tribus formis modalibus distinguere possint, nobis duabus sint significandae: quo facto nostrum sermonem Graecorum distinctiones, solis certe modorum formis, assequi non posse, satis apparet. Immo vero inest vis negativa in formula et in ipsis quidem Praeteritis. Haec enim a Praesentibus suis initio non temporaliter, sed modaliter differebant: quod hujus generis reliquum est, adest in illo usu sermonis Graeci. Quod etsi hoc loco omni ex parte vix videtur satis probari posse, tamen, quibus maxime rationibus nitatur, quam brevissime potero (nam et temporis angustiis mirifice premor!) enarrabo. Omnino, si linguarum historiam perscrutaris, modalitatis significationem magis magisque imminui, temporalem vel ipsis Modis adhibitis, augeri vides. De quattuor Graecorum in omni enunciatorum genere, Latinorum tribus, Germanorum duabus formulis modalibus jam vidimus. Ex Conjunctivi forma Futurum Graeci effecerunt, nec non Latini ex ea quae proprie erat Optativi. Duorum Conjunctivorum apud Latinos maximam partem discrimen est temporale, nostrorum jam paene nullum, quum apud Graecos tres illi modi, qui duobus illis respondeant, ratione vere modali differant, Praeteritumque etiam Modi vices expleat. In lingua Sanscrita major etiam exstat modorum copia, nec tamen ii apud omnia Tempora redeunt, velut Precativus est solius Aoristi, ita ut Modorum et Temporum ab initio non magnum fuisse discrimen recte conjicias. Nec illud negligendum, quod Plusquampf. in lingua Sanscr. nondum exstat; quo sublato apud Graecos, totum formarum systema exstinctum esset. Eodem pertinet, quod, si Temporum rationem examinas, idem Verbum, constans ex Praes. et Praeterito cum Modis, apud Graecos ter redit, apud Latinos bis, apud nostrates semel tantum exstat: ita tamen, ut Latini et Vbo Imperf. et Verbo Perf. Futura addiderint, apud Germanos etiam auxiliares formae omnes relationem quandam ad id tempus, quod notetur Praesenti, habeant, et hae omnes tandem unum Verbum efficiant. Accedit etiam illud, quod nec eae ipsae formae, quae Praesentia vocantur (Praes. et Perf.), ubique actionem temporis praesentis significant. Quam quidem notionem ea non abjecta temporali significatione accepisse, quum per se patet, tum quod ille usus Graecis multo usitatior est quam in linguis insequentibus. Contrario igitur ordine id factum esse putandum est. Adde quod Praeterita (T. historica) demum post Praesentia exorta esse, vel ipsa eorum forma docet. Praesens igitur, quum initio solum exstaret, actionem tempore praesentem significare non poterat, quum haec notio alteram formam oppositam ab initio postulasset. Quid? non solum temporis praeteriti sed etiam futuri formas eodem illo tempore simul exortas esse, necesse esset. Una igitur sola

forma quum uterentur illi homines, non nisi unam eandemque notionem indicabant: nimirum solae illae res quae sensibus corporis percipiebantur, lingua significabantur: quae quidem et tempore et loco erant praesentes. (Cave tamen putes, me antiquissimarum gentium doctrinas de ipso numine divino vel subtilissimas aut negare aut omnino ignorare, immo hoc tantum dico, etiam haec cogitata eadem ratione, acsi de rebus agatur sensibus subjectis, mente percepta esse et expressa.) Praeteritis igitur, quorum notio necessario Praesentibus esset contraria, significabant aliquid sensibus non esse subjectum, i. e. omnino non esse. Primum autem, quo opus esset significato, utique erant res praeteritae, quippe quae, etsi oculis non amplius percipiebantur, tamen perceptae aliquando fuerant: ita ut jam res praeteritae et eae, quae non essent eadem forma significarentur. Futuri enim notionem, utpote in sola cogitatione posita, multo demum post peculiari forma notatam invenimus. Quae forma enim in Sanscrita extat, multo recentior est quam Praeteritorum, siquidem temporalem ejus vim spectas: velut *dabo* efficitur per *dator* (vel *daturus*) *sum*. Graeci et Latini in eadem re Modis usi sunt: cf. supra. Praeteritorum autem vetustissimae illius notionis modalis apud Graecos reliqui aliquid invenimus. Accuratius has res dispositas et explicatas totamque doctrinam Temporum et Modorum ad eas leges revocatam habes in progr. schol. Gustr. a. 1847 et 1850.[4] Hoc loco hoc tantum addam, in rationibus linguarum, quippe quae pars sint historiae, ante omnia utendum esse rationibus historicis. Historia enim docet, vim, quam linguae in singulis formis inesse voluerint, paullatim esse mutatam pro ratione totius systematis notionum, quae essent exprimendae, nec ipsarum notionum syntacticarum systema, quod in linguis excultioris formae exstare videmus, ab initio idem semper fuisse: immo per linguas (de quibus quidem nos quaestionem instituimus) omnes certum quendam ordinem decursus esse conspicuum. In quo genere dijudicare priusquam, quid rei sit, scias, nihil juvat, sed diligenti perscrutatione res eget.

Conjunctivo exspectari aliquid dicitur[5]); addito ἄν aeque atque apud Optat. firmatur ea exspectationis indicatio, et plerumque quidem demonstrativa ejus particulae

---

[4]) Alterius progr. (1850. Modi.) censuram invenies Dietschii in *N. Jahrb. Nov.* 1852. Ac dissentire quidem quidem multis in rebus virum eruditissimum, nemo mirabitur. Quae tamen ibi velut errata vel repugnantia inter se notota sunt, minus recte esse notata, singulis locis ipsius programmatis paullo accuratius inspectis, quivis intelliget. Totius illius doctrinae expositionem, commentariis illis accomodatam, quum confecissem humanissimeque Dietschius se eam recepturum esse, jam dudum pollicitus esset, quod, tanto temporis spatio interjecto, haec saltem defensionis caussa protuli, nemo profecto vituperare poterit.

[5]) Hanc definitionem primus, quod ego sciam, proposuit O. Muellerus. Nihil plane differt ab ea, quam protulit Baeumleinius *(Tendenz der Handlung)*; nisi quod haec definitio ex ipsa actione statuitur, prior illa ex animo loquentis: eadem ratione, qua hoc fit in ceteris Modis, etiam ab ipso Baeumleinio. Qui tamen Conjunctivum actionis praesentis, Optativum igitur praeteritae esse volunt, secum reputent, quaeso, Modos non temporaliter sed modaliter esse disc[illegible]

vis pertinet ad monstrandum totum rerum statum, non ad conditionem aliquam. Qua de caussa etiam apud Homerum Conj. sine ἄν rarius invenitur. Apparet autem hanc formam a Futuri notione proprius abesse, quam ἄν non addito. Quo factum est, ut in locum ejus postea ipsum Futurum succederet. — Quod in liberis enunciatis ejusmodi, quibus appeti aliquid notatur, ἄν addi linguae leges vetuerunt, id recta ratione institutum esse eo perspicitur, quod optandi, adhortandi, imperandi formulae demonstratione illa non egent, immo ea debilitarentur.

Ex enunciatis secundariis (forma relativa alteri adjunctis) sola en. fin. et condit. et Opt. or. obliq. explicationem desiderant. In ceteris enim valent leges en. liberorum. Ac quod in oratione obliqua ἄν deest, procul dubio ideo factum est, quod in referenda alius cogitatione vel judicio demonstrationis quid addere, quo firmaretur, alienum esset. In en. conditionalibus abest ἄν, quod, sive per εἰ inferuntur sive alio Relativo, semper hoc membrum ipsum relativum est demonstrativi ejus, in quo ἄν inest. Quod tamen Conjunctivo apud Atticos constanter ἄν adjunctum videmus, in ea re primum hoc tenendum est, non solum apud antiquiores saepe sed etiam apud Thucydidem haud raro ἄν deesse, paullatim igitur hunc usum invaluisse: tum id eo consilio videtur factum esse, ut, quum ipso Conjunctivo exspectari aliquid ediceretur, addito ἄν significaretur, ipsum rerum statum ei exspectationi respondere, nec agi de rebus mente tantum et sola cogitatione perceptis: quae vis erat Optativi. Accedit, quod, quum Futurum in protasi en. condit., quae proprie vocantur, rarissime tempus futurum notaret, sed potius modalem quandam vim prae se ferret, Conjunctivus c. ἄν eadem plane ratione qua apud antiquiores ad actionem futuram indicandam aptissimus erat.

In sent. finalibus particulae ἄν nullum usus genus exstat nec apud Atticos nec apud antiquiores quo necessario ea addatur, nec omitti possit. Nam Optativus, quando hic usurpatur, est orationis obliquae; Conjunctivus est ejus generis, qui in liberis enunciatis, quae appeti aliquid significant, usurpatur. Ejusmodi en. quum objecti instar alteri adjunguntur, oriuntur en. final. subst., (ubi *ut* reddendum est per *dasz*; in his ἄν rarissime inveniri supra diximus. Sed et en. fin. *adverbialia (damit)* initio objecti instar intellecta esse, multis rationibus probari potest. In his igitur ἄν saepissime invenitur, neutiquam vero necessarium est. De hoc usu id tantum statuendum videtur, ubi ἄν additum sit, plane sicut in lib. en., modo conditionem aliquam significari, modo per rerum statum facile posse fieri, ut, quod velis, eveniat. Erat tamen, ut hoc genus loquendi tritum sane et usitatum fieret, etiam analogiae vis maxima, nimirum discrimine illo enunciatorum fin. et hypoth. modali magis magisque exstincto. Sed ut ei, qui unum hoc in caussa fuisse suadeat, Baeumleinio assentiar, adduci nullo modo possum. Praeterea quaerendum est, cur ἵνα numquam aut certe rarissime

---

autem ea modali sua notione Conjunctivus tempori praesenti multo aptior est, quam Optativus: quo factum est, ut multa usus genera exstent, quibus duo hi Modi jam magis temporaliter vidediscernendi: quod discrimen apud Latinos jam principale paene videtur.

ante...

etiam futuri formas eo...

...dsciscat. Ac qui id in caussa esse volunt, quod ἵνα ad ipsum quasi finem consilii ...ctet, ita ut rerum et conditionum, quae actionem aut impediant aut adjuvent, ratio non habeatur, pro arbitrio videntur praecipere. Nam expediant quaeso, cur, rebus ejusmodi et conditionibus diserte additis, nihilosecius absit ἄν. *Schmalfeld* eam caussam affert, quod ἵνα ἄν semper locale sit; sed hoc ipsum explicatione indiget. Multo probabilius rem sic expedies: ἵνα locale apud Atticos nihil nisi »ubi« significat; tamen id etiam »quo« notasse et certis apud Homerum exemplis constat, et eo, quod Graeci saepissime iisdem formis et locum, ubi quid fiat, et quo actio tendat, significant. Id quod vel ipsius Dativi usu confirmatur. Jam vero illud »ubi« in particulam finalem abire vix poterat; contra illud »quo« (ποῖ) facillime. Itaque quum postea en. finales ex analogia en. conditionalium maxime solerent notari, consilium non per »ubicunque«, sed per »quocunque« *(wohin auch nur)* significandum erat; haec vero notio particulae apud Atticos jam erat obsoleta; illi igitur consilii indicandi rationi apud ἵνα omnino locus non erat. Fortasse tamen existet quispiam, qui ἵνα relativum esse demonstrativi ἄν etymologica ratione evincat. Quo facto res plane ad liquidum videretur perducta. Nam quod nos ἄν »tunc« significare diximus, nihil repugnat, quum saepissime Adverbia loci temporalem naturam induant.

Restat ut, quomodo etiam Latinorum „an" nostra ratione illustrari videatur, paucis ...oceam. Si enim quaeris, quid sit num, aperte nihil aliud est nisi nunc: id quod collatis ...um et tunc, etiamnum et etiamnunc, illim et illinc, hunc, dum et donec, facile evincitur. *Reisigius* num ex μῶν (μὴ οὖν) ortum esse contendit: sed nec vis negativa nec ea, quam οὖν exhibet, in Latinorum num necessario inest. Quodsi num est nunc, quum hujus vocis usus cum an arctissime cohaereat, quin an idem significet, quod tunc, dubitare non poteris. Etsi enim hoc an alia ratione quam Graecorum illud usurpatur, quum tantum in interrogationibus locum habeat, tamen id, quod in altero tantum membro interrogationum duplicium (disjunctivarum) vel potius sic tantum usurpatur, ut aliquid opponat alicui, quod antecedat, sive judicio sive interrogationi, satis videtur convenire ...ationibus nostris.

Errata. p. 5. lin. 29. lege *aliam* pro *alium*; p. 8. lin. 19. lege *Relativis* pro *Interrogativis*; p. 9. lin. 37. lege Ἀΐδαο; p. 10. lin. 32. lege *modo* pro *loco*; p. 11. lin. 35. lege *aliquam* pro *quandam*.